

**I**tem eodem anno in Martio inceperunt *Joannes dictus de Vlaminck* et socii eius parare materiam pro duobus furnis lapidum rubeorum sc *Kareelen* faciendis secundum conditionem cum eis factam etc et estate sequente opus suum perfecerunt ab illo tempore citra sepissime fecimus hic lapides tales. Primus furnus stabat iuxta furnum calcis retro primam cellam ducisse Margarete sed postmodum positus fuit in ambitu pro terra ibi capienda et maiori commodo.

**A**nno Lxiii in estate facte fuit 3<sup>a</sup> cella plene quoad muros suos et quarta pro parte, sed anno sequenti 3<sup>a</sup> cella fuit intus preparata etc. Item infra octavas Pentecostes frater *Joannes Hac* in Alosto fuit ordinatus diaconus. Item eodem anno in profesto Hugonis Linconiensis venit huc hospitatum frater *Joannes Bens* monachus professus domus Brugis qui solvit expensas suas more ordinis qui fuit hic puto duobus annis. Postmodum rediit ad domum professionis sue. Qui incepit hic missale quod iacet ante altare nostre Domine ad aliquos quaternos.

**I**tem isto anno puto fuit hic circa ieiunium penuria pecunie unde quadam vice prior *Henricus* misit fratrem *Iannem Coese* Conversum ad forum ut emeret pitantiam pro fratribus et

quia non habebat pecuniam misit eum ad *Nicolaum Buys* receptorem domus qui etiam nihil habuit pro nobis, tandem venit frater *Joannes* ad forum piscium ut instaret ad emendum pitantiam sub credentia solvendi in posterum quod cum faceret retro eum venit quidam bonus Vir quem tunc non novit qui dixit ei capiatis pro fratribus ego solvam etiam puto quod dedit denarios pro vino. Etiam in ieiunio quidam de fratribus ivit pro ordinibus et Prior cum eodem usque domum Capelle et puto quod ibi concessit pecuniam quam dedit dicto fratri et socio suo pro viatico in itinere. Sed in brevi consolatus est dominis suos, Nam eodem tempore procurator *Joannes Bruyne* ibat ad domum domini de Rabbays et inde reportavit in eleemosinam ab *Henrico de Hersele* familiari eiusdem domini Xxvi nobilia Anglie et Xxx nobilia Flandrie. Et postmodum 2<sup>a</sup> Augusti ad eodem *Henrico* cuius anima requiescat in pace Xlii Salucia.

**I**tem postmodum sc Xi<sup>a</sup> septembris ex parte Hermanni Joannis vander Weyden per medium prioris de Monachusener venerunt hic ducenti floreni Renenses et sic abundanter consolatus fuit dominus servos suos.

**I**tem anno predicto Lxiii *Dux Philippus* dedit huic domui fontem quem edificavit in *Pippezepe* in agro *Magistri Ingelberti Spul* secretarii Oppidi Bruxellensis sine fundo qui *Ingelbertus* postmodum ad preces amicorum dedit huic domui in eleemosinam fundum fontis et fontem, et partem agri usque ad extensionem Xii pedum a muris domuncule dicti fontis circumcirca quantum ad tres partes quia quarta pars respicit hereditatem *Willelmi Mesmakers* pie memorie versus Bruxellam. Usque tamen hodie non potuimus ad heredibus dicti *Ingelberti* obtinere donationem seu literas aut inheredationem.

**I**tem sabbato quatuor temporum in adventu fuerunt ordinati in Bruxella Frater *Judocus* in sacerdotem qui cantavit primam missam in die Epiphanie. Similiter frater *Joannes Hac* in Sacerdotem qui cantavit primam Missam in octavis Epiphanie. et Frater *Marcelius* in Subdiaconum. Et sabbato quatuor temporum in sequenti ieiunio Cameraci in Diaconum, et sabbato sitiennes in Sacerdotem. Qui cantavit primam missam altera octavarum Pasce in qua celebrabatur festum Ambrosii.

**I**tem anno predicto fuerunt aliqua donata a Patribus ordinis pro deductione *fontis de Pipezepe* et anno sequente 1 renenses ab oppido Bruxellensi que non sunt exposita pro

deductione illius fontis sed eius quem habemus et plura alia.

**I**tem aliqua horum fuerunt data conditionaliter(*sic*) aut pro deductione fontis aut pro translatione vie communis que currebat ante capellam ad muros monasterii pro qua translatione multo plura fuerunt exposita.

Anno Lxiii post Pasca completa est 3<sup>a</sup> nova cella et in fine estatis puto frater *Joannes Biest* nunc vicarius ivit mansum in ea.

**I**sto anno in Aprili venit hic *Joannes Moens* laicus de Lovanio ut esset in coquina qui fuit receptus in donatum domus huius secundum formam statutorum die sanctorum Cosme et Damiane in Septembri. Postmodum fuit receptus in conversum et indutus anno Lxxx prima Augusti et anno sequenti professus qui satis laboravit in coquina secundum statum suum corpore gravis et ex sudore et calefactione operis minus discretus in potando etiam tempore indebito et modo unde sepe admonitus ut se mperaret sed minus debite fecit sic sibi predicebatur a presidentibus et aliis nisi diligentius et melius se in huiusmodi et aliis in ordinantiis regeret magnam infirmitatem incurreret et non diu viveret quod et factum est. Nam ijdropisim(*sic*) incurrit in qua diu laboravit et multa perpessus fuit ac etiam malam tibiam fere ante medium annum obitus qui per quam et multas cameras ab humore aquatico et corruptis humoribus ante mortem sic purgabatur quod quasi exhaustus et ethicus in morte inventus fuit qui sepius vomitum patiens non potuit communicare in extremis sed cum magna devotione Xxiii<sup>a</sup> Maii ante ~~ant~~ completorium et desidiam suam recognoscens et affectuose ab omnibus veniam petens extremam unctionem suscepit dicens se habere magnam penam circa cor. Et postea ad mortem se disponens obiit circa tempus matutinarum sc horam x<sup>a</sup> sequentem sc xxiii<sup>a</sup> Martii anni Lxxxiii more ordinis scribendo.

**A**nno Lxv factum est stabulum ovium et eodem anno incepimus tenere oves et adhuc tenemus.

**I**tem isto anno *Hermannus de Prope Humborch* fuit hic receptus in donatum dictus *Vicke* circa octobrem qui vestivit seipsum et ultra dedit domui semel ii Lb xix sch. Et horologium qui(*sic*) postmodum fuit hic indutus conversus anno Lxxiii altera Benedicti Abbatis que scit facere vitra et iuvat in coquina.



**I**tem eodem anno xxix Ocobris *Magister Paulus de Rota* et *Magister Petrus de Thimo* arbitrati sunt inter capitulum anderlectensem et nos sub pena 1 nobilium Anglie de terris convertendis in aliam speciem quod nos de primis duobus bonariis conversis dabimus pro decimis quatuor fertella siliginis mensure Anderlectensis et pro reliquis sic conversis sex fertella etc in eodem arbitrio contenta.

**I**tem eodem anno in Septembri habuimus concessum Principis et Concilii Brabantie de translatione vie communis que currebat ante Capellam et ad murum monasterii. De quo litera est patens et sigillata de eodem anno.

Anno Lxvi circa festum Pasche translatum est hospitium et stabulum quod stabant ante Capellam in loco suo supra campum integraliter pro communi via transferenda sicuti iam actu currit de muro monasterii versus anderlacum in campum.

Item eodem anno facta est anterior porta ad stabulum ovium cum suis pertinentiis. Et quoddam appendicium ad horreum pro repositione curruum in quo iam dormiunt aurige.

**I**tem hoc anno circa festum Gervasii et Prothasii puto fuit hic sepultus *Everardus Meeck* pater fratris nostri *Thome* in parvo cemeterio nostro circa parvam Capellam qui reliquit in testamento domui mediam domum suam vel circiter alia medietas venit per uxorem suam que postmodum etiam fuit apud nos sepulta in magno cemeterio in ambitu que obiit altera Magdalene.

**I**tem in octavis Assumptionis Beate Marie Frater *Joannes de Colonia* sacerdos et frater de domo Nazareth in Bruxella qui iam ibunt mansum iuxta portam dictam priems porte in eodem oppido fuit hic vestitus natus de Colonia et anno sequenti professus qui fuit hic aliquo tempore Sacrista et cantor chori et corrector qui circa annum Lxxvii in Augusto ivit hospitatum ad domum Ziericzee. postmodum ad domum Hollandie et postmodum ad domum Capelle ubi anno Lxxx fecit professionem die Marci Evangeliste vel circiter et adhuc manet. Qui scripsit hic pro domo quartum volumen legendarum hic anno Lxxxiii profesto Bartholomei in actu visitationis remissus fuit ad domum istam et die Bartholomei post prandium ante vespas fecit hic iterum professionem



in manu prioris *Marcelli* et actu manet hic et scribit unum missale ex integro in bona fractura. Circa annum autem Xcv missus est ad domum Distensem, ibi moratus est circa tres annos pro quibus solvimus eis expensas. Inde reversus vixit nobiscum usque in diem mortis sue. Tamen ante mortem suam iterum quasi habuit locum per instantiam suam in domo Buscoducensi ex quo prior ibi fuit quondam confrater noster et commonachus. Nota quod iste frater *Joannes* fuit bene litteratus sed multum mirabilis et infestus et molestus monachis et coquine et priori presertim. Unde interdum nocturno tempore venit ad lectum eius volens habere quæ voluit et non potuit propriam voluntatem vel passiones frangere. Sepius tamen precipue in prandio fuit valde strictus in ieiuniis et aliis observantiis ordinis et brevi imbutus in militia spirituali Sed tentatione irruente seipsum superare non potuit, unde sibi et fere omnibus fratribus onerosus fuit et ad hoc devenit ut per triennium vel ultra chorum non visitavit cum aliis et etiam aliquo tempore non celebravit. Noctes duxit interdum insomnes et alia multa passus est, et etiam ruptus fuit tam graviter ut ruptura eius ad quantitatem unius capitis appareret vel ultra, et affligebatur extra et intra. Unde interdum licentias impetravit ut absque licentia presidentis per totum conventum sc monachos ad placitum visitaret quos multis displicuit cum esset citra obedientiam et communem pacem. Tandem tempore Autumnali propter intemperiem incurrit raucedinem et multi alii e monachis similiter. Sed ipse proprio sensu dixit velle se tam diu abstinere a cibo donec raucedo decederet et sic aliquo tempore mirabiliter sobrium se continuit. Et adiecit dicens multi fuerunt iam infirmi oportet quod ego etiam infirmar et continuo defecit in naturalibus ut puto propter nimiam sobrietatem quam servavit cum sanitate, et cum voluisset cum ceteris gustare non valuit. Unde nusquam dolens nec aliquod membrum conquerens pulsus vitalis siluit. Unde quidam e monachis expertus de silentio pulsus indicavit Priori quod infra Xxiiii horas moreretur quod et factum est, et etiam usque ad illam ultimam horam exclusive vixit semper deficiendo paulatim. Et recipiens sacramentalia sua satis humiliter et quidam interrogantes frater *Johannes* quomodo est vobiscum nonne speras firmiter respondit: Tanta perpessus sum quanta sanctus Antonius sustinuit quomodo non sperarem. Et sic secundum nostrum videre satis

bene et obedienter dispositus obdormivit in domino sed in punctu ante dissolutionem suam petens adire sedem adduxerunt eum et ibidem expiravit. Cumque pauci adhuc dubitassent de eius dissolutione iterum reduxerunt mortuum quasi viventem ad lectum suum dicentes Eamus frater corpus exanime cum brachiis sustentantes quod erat horribile ac spectaculum videre. Et sic requievit in pace anno Xv<sup>C</sup> quarto in profesto Lucie tempore completorii.

**I**tem eodem anno post festum Martini statim in visitatione facta est hic mutatio procuratoris et vicarii. Nam frater *Jaspar* vicarius factus est procurator, et frater *Ioannes Bruijne* procurator factus est vicarius et ut puto usque tunc domus ista consuevit visitari in annis paribus cum domibus ultra mare sc de Hollandia etc. Sed deinceps mutatum est ut visitetur hec domus cum domibus citra mare in annis imparibus.

**A**nno Lxvii die Philippi et Jacobi frater *Arnoldus de Calk* de Ducati Clevensi fuit hic indutus et anno sequenti professus qui prius fuit frater in Nazareth cum dicto frater *Joanne de Colonia* qui nondum fuit in sacris sed hic effectus est sacerdos diu fuit et actu adhuc hic est sacrista. Multum perfectum fecit domui in illuminando et florando tam libros quam aliorum extra domum scripsit. Cepit ordinem subdiaconatus Bruxelle post professionem infra octavas Pentecostes, et diaconatum in Septembri in sancto Gisleenio, et presbyteratum Bruxelle in Decembri, et cantavit primam missam Et post tres annos circa Initium Martii factus est sacrista et mansit in eodem officio Xiiii annis qui in die Bartolomei post visitationem factam absolutus mansit in propria domo, interdum habens discipulos quos instruxit usque ad annum Xv<sup>C</sup> et pacto interveniente vel saltem ipso consentiente cum Rectore domus nove plantationis in Lovanio absque scitu vel consensu prioris nostri *Mathie* perrexit iubente priore de Brugis principali visitatore in cella propria nullo presente Lovanium. Ibique post aliquot annos promotus est in vicarium deficiente pro senio predecessore suo. Sed anno Xv<sup>C</sup>Xi<sup>o</sup> propter tertiam compilationem que dicit quod nullus habeat Vicariam procuracionem aut sacristiam nisi sit professus eiusdem domus cum ipse nollet ibidem professionem facere instantibus monachis absolutus est ab officio. Tunc quidem redire summopere cupiens ad propriam domum non obtinuit nec mirum quia exitum sine consilio prioris procuravit. Unde multum doluit quia redire ad placitum non potuit.

**I**tem eodem anno 2<sup>a</sup> die Pentecostes *Ducissa Isabella* misit hic Centum Quadraginta quatuor Coronas pro quinta cella complenda cuius primarium lapidem posuit Dominus *De Sarloys* filius eius.

**I**tem anno predicto fuit Quarta cella completa que fuit incepta Anno Lxiii et tam diu mansit imperfecta sed quinta fuit facta anno Lxxii.

**I**tem eodem anno Xi<sup>a</sup> aprilis facta fuit concordia inter capitulum sancte Gudile Bruxellensis et domum nostram super decimis solvendis in qua continentur puncta sequentia.

**P**rimum punctum quod de Vii Bonariis et uno iornali terre arabilis assignatis vel assignandis non solvent fratres decimas Capitulo predicto quamdiu propriis manibus vel sumptibus colunt. Totum est assignatum Vide anno Lxxi.

**S**ecundum de novalibus infra memoriam hominum(*sic*) non excultis si colant non solvent decimas.

**T**ertium quod de omnibus aliis terris etiam propriis manibus excultis solvent decimas.

**Q**uartum si terras non specificatas de non solvendis decimis in prata vivaria aut alium usum converterunt tunc stabunt eodem iure sicut alie persone non previligiate secundum pactum inter Capitulum et oppidum Bruxellense.

**Q**uintum quod in *Parrhoccia de Molenbeka* possunt habere domum censualem et per unum de ordine ibidem nutrire C.L. capita ovium aut aliarum pecudum de quarum fetibus non solvent decimas, sed si plures habuerint aut alteri commiserint tunc de ~~excessus~~ excedentibus dictum numerum aut omnibus decimas solvent.

**S**extum quod pro charitate nutrienda pro invicem orabunt ita quod quando aliquis de Capitulo aut fratribus obierunt alteri Ecclesie obitum illius intimabit ut anima defuncti deo commendetur.

**I**tem eodem Anno Vii<sup>a</sup> Februarii post completorium obiit hic frater *Simon Huvettere* de domo Silve sed primo anno aut circiter postquam hic venit fecit hic votum et factus fuit donatus huius domus natus de Gandavo sartor et portarius et multum diligens et sollicitus circa curam infirmorum qui diu moratus fuit Rome ubi habuit tres uxores multum obediens quod patet ex hoc quod dixit Si prior meus iuberet intrare sepulcrum ut morerer libenter et statim facerem. Unde etiam eius patet bona



et secunda conscientia. Devotus in divinis licet illitteratus magnam enim devotionem habuit in cantu divini officii ita quod tamquam simplex diceret : utinam possem in celo audire fratres cantantes. Varias habuit passiones nec voluit comedere carnes circa finem vite quas potuisset extra domum. Hictericius fuit, circa finem satis deformis sed pulcher mortuus qui cum Sacramentis obiit et puto tempore inunctionis(*sic*) vel circiter. Qui habet ex adventu ad domum istam anniversarium associandum per totum ordinem.

**I**tem nno Lxviii die marci Evangeliste puto *Antbonius Anthonii* nepos domini *Willbelmi Tonis* ~~fuit~~ hic indutus ad statum conversi de Bruxella pictor qui non perseveravit eo quod nimis esset sui capitis nec acquiescere voluit dictis prioris *Henrici* nec amicorum et timebatur quod seipsum destruxit. Ideo idem Prior iniuxit suo Vicario in absentia sua ut eidem abstraheret habitum quod et fecit ante finem anni professionis qui rediit ad seculum et duxit uxorem. Item eodem anno fiebant preparamenta lapidum fundamentalium et aliorum pro nova Ecclesia facienda pro conventu, et eodem anno incepimus habere communionem cum *Stephano Borre* et *Hermannno Anderlecht* in puteo lapidum *Tinxem* ex agro *Ioannis Smet*. Unde varii et multi lapides venerunt domui ut patet in registris diversorum annorum conventionum et emptionum etc.

**I**tem eodem anno cepit lapicida *Laurentius* operari circa lapides illos parandos.

**I**tem eodem anno ut puto ampliatum fuit Cemiterium retro parvam Capellam usque ad extremum murum et dumum(*sic*) et domum *Hermannni* et consecratum per Suffraganeum Cameracensem Reverendum Episcopum Dagnensem *Godefridum Carmelitam*.

**I**tem anno predicto in ieiunio puto frater *Ioannis Merchtene* ordinatus fuit hic Sacrista pro fratre *Judoco*.

**A**nno Lxix circa Pascha dominus *Adolphus de Clevis* nomine Principis Caroli posuit primarium lapidem ecclesie nostre nondum perfecte et Xxviii<sup>a</sup> Aprilis incepit de novo *Daniel Menis* cementarius fundare novam Ecclesiam, ac eodem anno perfecit usque ad primam scissuram. 1. ciste per pecuniam ad hoc de consensu conventus mutuatam que usque hodie

sic permanet sed spero per dei gratiam brevi aliquid ad eam fiet.

**I**tem eodem anno penultima Iulii frater noster *Ioannes Moens* donatus admissus est pro converso fiendo et ad osculum pacis receptus et prima die Augusti indutus conversus et sequenti anno professus qui fuit Lovaniensis et laboravit in Coquina Braxatorio et Pistrina nec aliud officium scivit.

**I**tem eodem anno in adventu facta est preparatio pro faciendo oratorio pro domino duce Carolo ad parvam Capellam et in estate sequenti perfectum fuit per omnia oratorium predictum.

**I**tem eodem anno sabbato ante diem Cinerum venit huc ad probam frater *Ioannes de Groot* de Bruxella filius magistri Ioannis de Groot quondam Cancellarii et Sigilliferi Brabantie et mansit hic continue. Qui fuit receptus ad osculum in statum monachi 3<sup>a</sup> Aprilis ante dominicam Passionis, et dominica sequenti sc passionis que fuit octava Aprilis vestitus et anno sequenti professus. Et sumpsit ordinem Subdiaconatus post professionem in Antverpia infra octavas Pentecostes et Diaconatus in Septembri in Aet, et in Decembri sacerdotium Bruxelles, qui cantabat primam missam Fabiani et Sebastiani. Iste frater *Ioannis* fuit infirmarius istius conventus Xxiii annos sollicite ministrans et serviens infirmis. Item fuit procurator huius domus Xix annos et menses Quinque. Item anno domini M.V. cXvi in profesto Hugonis fuit institutus Vicarius huius domus.

**A**nno Lxx circa initium Maii pro inchoatione domus ordinis in Delft missi sunt duo de hac domo sc frater *Jaspar* procurator pro tunc huius domus, sed professus domus Capelle pro quo fiebat hic procurator frater *Ioannes de Bruyne* pro tunc vicarius. Et pro ipso fiebat hic vicarius frater *Marcelius*. Etiam missus fuit in Delft de hac domo frater *Ioannes Merchtene* pro tunc sacrista huius domus et fiebat pro eo sacrista frater *Ioannes de Colonia* usque circa Bavonis, pro quo tunc factus est sacrista frater *Arnoldus* qui idhuc idem officium habet et mansit Xiiii \_\_\_\_\_ annis.

**I**tem circa Ioannis venit hic a capitulo nostro generali quod frater *Iudocus* reverteretur ad domum prime sue professionis. Unde charta eiusdem anni sic habet : Et dominus *Iudocus* professus dicte domus sc nostre Domine de Gratia revertatur ad domum Montis Dei sue prime professionis et ibidem habeatur pro professo.

**I**tem circa festum visitationis beate Marie venit hic ad probam eundo et redeundo frater *Mathias Middelborch* nepos sc filius fratris uxoris Ioannis Middelborch qui eum adoptaverunt in fillium puto Xx annorum. Qui regulariter peractus et receptus fuit ad osculum quinta Augusti et Assumptionis die subsequenti indutus et anno sequenti professus qui sumpsit ordinem Subdiaconatus statim post professionem in Septembri in Aet, et in Decembri Diaconatum in Bruxella et presbyteratum in Geraldimonte anno Lxxiii more regio in quatuor temporibus quadragesime qui scripsit cathenam Auream sancti Thome et fuit sacrista et post obitum prioris Marcilii fuit electus Prior huius domus et fuit prior Xxix annis et sex mensibus, et obiit anno Xv<sup>C</sup>Xvi x<sup>a</sup> Aprilis ipso die veneris sancta. Et qualiter vixit et quantum domui profuit et tempore suo domum ampliavit tam in edificiis quam in redditibus multis suo loco scribentur.

**I**tem eodem anno applanata est terra ad quartam et quintam cellam pro galilea aptanda.

**I**tem in eodem anno venit hic ex domo Rubee Vallis frater Joannes Pepercoren ut probaretur ad statum donati, qui receptus est ad statum donati, etiam ad tria vota prout multum desideravit et impetratum et concessum fuit a capitulo generali pro hiis qui vellent licet anno Lxxx revocatum fuerit.

Quarta decima Augusti eius modus receptionis promissionis et testamenti in cedulis desuper factis, qui fuit hic portarius.

**I**tem eodem anno venit hic frater *Henricus de Roe* Bruxellensis filius Ioannis de Roe pistoris qui receptus fuit ad osculum die Simonis et Jude et die Hugonis Lincolniensis sequenti vestitus et anno sequenti professus, qui sumpsit ordinem Subdiaconatus Bruxelles in Decembri post professionem et infra octavas Pentecostes Diaconatum in predicto oppido Bruxellensi et in Septembri sequenti presbyterum in Tornaco, primam celebrando missam in crastino Calixti Pape.

**I**tem eodem anno Xvi petitum fuit ex parte incipis ut *Joannes Florentis* Xv annorum reciperetur in domo vel ad triennium tres libre grossorum darentur in subsidium studii sui quod tunc



negatum fuit sed postmodum pro parte concessum ita quod partem expensarum eiusdem *Ioannis* solvit domus Lovanii et partim eleemosinarius Principis et frater eius dominus *Martinus* etiam aliqua pro eodem solvit, qui postea factus est hic monachus ut patebit.

**I**tem eodem anno circa Ieiunium perfecta est quarta nova cella et postea ibat mansum in ea frater *Ioannes de Colonia*.

**I**tem eodem anno dominus *Petrus de Curia alias Fabri* Capellanus Anderlectensis donavit huic domui domum suam et ortum Etc concessio sibi et *Ioanni* nepti sue usumfructum predictorum cum onere manutenentie.

**I**tem eodem anno die Valentini fecit conventus associationem cum domo Distensi quo ad habentes habitum ordinis.

**I**tem idem factum est cum domo Capelle die *ulmarum* sequenti quo ad monachos et conversos.

**N**ota quod in psalmis ex associatione non capimus veniam et habet tamen anniversarium associandum et brevem in cellis.

**A**nno Lxxi fecimus associationem cum domo Antverpie quo ad monachos tantum. Et anno sequenti vigilia Andree cepimus habere associationem cum domo Silve quo ad omnes habitum ordinis portantes.

**I**tem isto anno puto post Pascha frater *Ioannes de Colonia* ivit mansum in quarta nova cella Ducisse Isabelle pro tunc aliquantulum intus et extra preparata licet festinanter ubi aliqua de ostiis et fenestris et aliis sunt postea alterata et in melius commutata.

**I**tem eodem anno puto in Septembri Reverendus Dominus Godefridus Episcopus Dagnensis natione Gelrensis Carmelita et Suffraganeus Episcopi Cameracensis consecravit cimiterium nostrum magnum in ambitu ante duas primas cellas secundum signa ibi posita usque ad ostium qua intrandum erit ad novam Ecclesiam.

**I**tem altera Dionysii venit procurator Buscoducis ad domum istam infirmus fluxu sanguinis cum socio laico Godefrido qui procurator convaluit sed dictus Godefridus obiit in profesto Luce et primus fuit sepultus in dicto superiori cimiterio infra ambitum magnum.

**I**tem frater noster portarius *Ioannes Pepercoren* donatus supradictus habuit curam dictorum infirmorum et qui morbus dictus contagiosus fuit ipse incidit in eundem morbum in quo languit

f° 46

ad viginti unum dies vel circiter qui obiit eodem anno altera Reliquiarum tempore matutinarum. Qui bene sollicitus fuit in porta et officio suo sarciendi et circa infirmos et devotus quia diu in statu donati tenuit officium legendi conversorum. Apportavit puto duo vel tres libros teutonicales et parum amplius.

**I**tem die Vincentii puto fuit cum solemnitate et toto conventu corpus matris magistri *Zigeri de Hasselt* translatum de parvo cemeterio iuxta Capellam ad cemeterium magnum in ambitum et positum ibi sub lapide.

**I**tem Xix<sup>a</sup> Martij qua tunc celebrabatur dies Annunciationis frater *Hermannus Vicke* donatus noster receptus fuit secundum concessionem per Capitulum nostrum nostre provincie factam eodem anno ad tria vota.

**A**nno Lxxii in Aprili circa principium eius *Petrus de Coese* Latomus cum suis incepit Quintam cellam sc domini de Serloys sed solutam per matrem eius predictam.

**E**t circa idem tempus *Ioannes de Leeu* circa idem opus cepit operari cum fratre. Et dicti duo sc Petrus et Ioannes manent operarii nostri et actu nobis operantur et eodem anno ipsa cella fuit perfecta in exterioribus.

**I**tem eodem anno planata est terra usque ad cellas boreales et inceptus est murus interior ambitus versus illam partem borealem vergentem ad occidentem in quo muro *Ioannes Midelborch* et uxor eius Anna fecerunt fieri unam virgatam pro qua dederunt decem petros. Et ex testamento *Nicolai Daens* ad idem opus venerunt Vi Renenses. Et *Ioannes de Roe* dedit ad idem opus tres renenses.

**I**tem eodem anno die beati Calixti Domina Ducissa Burgundie Margareta soror Regis Anglie posuit primarium lapidem duarum cellarum in parte boreali versus occidentem quas ipsa planarie fecit construi sed non dotavit eas pro quibus dedit circa Xc Libr. Gross Brabantie que post annis sequentibus fuerunt facte ut patebit.

**I**tem eodem anno facta est concordia inter magistros de Capella beate—— Marie Magdalene Bruxelles et vicinos eius et inter domum nostram ut patet in literis desuper confectis de isto anno cum pena ibidem apposita.

**I**tem isto anno venit hic *Jacobus Cambier* de Gandavo quondam balius Geraldimontis qui ibi circa desiderans fieri donatus

satis annosus circa sexagenarius pro quo de consensu conventus scriptum fuit priori Cartusie pro licentia obtinenda ad recipiendum eum in donatum qui commisit conventui.

**I**tem anno predicto circa finem Martii facta est conventio cum latomo *Petro de Coeve* predicto pro duabus cellis Ducisse Margarete faciendis ad virgatas qui habuit pro qualibet virgata Xxx St. que due celle quia muri profundi continuerunt Xli virgata[m] quas estate sequenti perfecerunt.

**I**tem eodem anno *Ioannis de Leeu* cepit opus lignorum duarum cellarum et similiter estate sequenti perfecit cum gradibus et interscitiis pro quo opere habuit Xx petros de Xix st quelibet(*sic*).

**I**tem hoc anno die sancti Martini in Novembri obiit hic conversus noster frater *Henricus van Heetvelde* Bruxellensis post completorium et sepultus est in magno cemiterio in ambitu. Nam ante obitum multum desideravit ut illud cemiterium dedicaretur ante eius obitum ut ibi sepeliri posset de quo vide latius anno Lix.

**A**nno Lxxiii fecit hic lateres *Jacobus Rethi* duos furnos et aliquos pro calce cremanda que etiam ab eodem fuit cremata, et furnus ad hoc paratus qui adhuc stat in loco suo, sed furnus laterum fuit transpositus et inde cepimus cremare calcem pro nobis tantum.

**I**tem eodem anno completis duabus cellis predictis quidam *Daniel van den Bossche* pro tectura unius harum cellarum continentis in texto duas virgatas Iii<sup>cl</sup>Lxx habuit. Habuit pro qualibet virgata Xii st.

**I**tem *Ioannes Roelof* senior textit aliam cellam eiusdem mensure et pretii. Et ambas galileas et cellarum similiter duarum virgatarum cum dimidio octo pedes minus eiusdem pretii.

**I**tem isto anno factum fuit unum opus inutile sc pompa ad deducendam aquam, et aqua que inde nomen accepit *pompwater* ad dictas cellas sed non poterat venire.

**I**tem eodem anno die Joannis et Pauli de licentia Prioris Cartusie consensit conventus quod dictus *Jacobus Cambier* reciperetur in donatum puto ad tria vota. Et dispositis rebus suis et filiis receptus fuit eodem anno die Calixti. Qui fuit portarius ad paucos annos discretus homo sciens bene conversari cum hominibus et pauperibus ante portam et hospitibus, nullum sciens artificium, passus multa in cruce qui



obiit in manu mea die Agathe hora primarum nocte precedente sumptis sacramentis qui cepit deficere in memoria. Ideo in coquina ante duos dies obitus qui dixit mihi : Pater oportebit me multum iuvare quia tendo ad finem et dificio in ratione qui sepultus fuit in magno nostro cemiterio puto eodem die.

**I**tem Xv<sup>a</sup> martii consensus conventus ut frater noster *Hermannus Vicke* reciperetur in Conversum qui vestitus fuit altera Benedicti et anno sequenti fecit professionem et eodem die inductionis frater Mathias cantavit primam missam suam.

**I**tem eodem anno prima Decembris honorabilis dominus magister *Ioannes Ostonis* propositus Nivellensis proprio motu ordinavit fieri hic unam cellam pro qua puto legavit in testamento suo C. quinquaginta Renenses aut coronas que exposite fuerunt ad 3<sup>a</sup> cellam in parte boreali estate futura.

**I**tem circa idem tempus constructa fuit parva lomuncula lapidea ad domum Hermanni Anderlecht ad domum iuxta Capellam nostre Domine.

**I**tem eodem anno circa Augustum puto sepultus fuit in anteriori Capella Nostre Domine de Gratia *Eustatius Hebbinc* Clericus de officiis Principis quem nos ibi sepelivimus et exequias fecimus et sic declarationes habemus a capitulo quod Capella est infra cepta vide de anno puto Lxxvi vel circiter.

**A**nno Lxxiiii feria 3<sup>a</sup> in Paschalibus sc Xij Aprilis consensus conventus quod frater *Ioannes Huweken* de prope Lovanium sartor reciperetur in donatum qui receptus fuit 2<sup>a</sup> Maii et post obitum dicti *Iacobi Cambier* effectus fuit hic portarius et etiam adiutor in via eiusdem.

**I**tem feria 3<sup>a</sup> post Quasimodo quidam civis Bruxellensis sc *Adrianus de Tornaco* dedit pro una virgata muri ambitus Viii petros communes.

**I**tem Xxviii<sup>a</sup> Maii empta ~~fuit~~ sunt *ter Nieuwer Molen* erga Domum Hesselum ligna lapides albi et ferrum duarum domorum ibi coniunctum stantium pro II<sup>c</sup> petris que aptata pro parte sunt pro nova coquina et duabus cameris hospitum alia sunt adhuc aptanda.

**I**tem eodem anno quidam *Joannes van den Wouwe* lathomus de Alosto fecit de interiori muro ambitum cellarum futurarum in qua sunt priore ostia circa Xxxviii pro qualibet Xxi st.

alia pars facta fuit per alios ita quod eodem anno murus fuit clausus totaliter.

**I**tem eodem anno constructa fuit tam a *Petro le Coeve* Latomo quam a *Ioannes de Leeu* carpentario cella magistri *Ostonis* predicti.

**I**tem hoc anno profesto *Nicolai Domicella Maria vander Borch* emit pro dotatione unius celle *Vivarium* situm *tossenhem* cum suis pertinentiis de quo habetur in libro hereditatum istius pro anno pro quo dedit Iiii<sup>CL</sup> *Renenses* qui sibi quondam miraculo venerunt. Nam matertera eius *Lovanii Domina promoch(?)* emit certas pensiones vitales ad vitam propriam et dicte *Domicelle* que quitabantur post mortem eiusdem matertere ad paucos dies puto Viii vel circiter et totaliter venerunt dicte *domicelle Marie* si ante dictos dies et in vita matertere eius nihil inde habuisset nisi forte partem suam cum aliis heredibus Hanc gratiam recognoscens totaliter eas obtulit Domino et deputabat pro una prebenda monachi Xxiiii *Renensibus* annue perpetue.

**I**tem anno predicto circa medium Decembris Dominus *Andreas Goeswine* curatus de *Viane* per medium prioris *Capelle Arnoldi* pie memorie dedit in elemosinam li<sup>C</sup>Xciii *Renenses* de Xx St. ut inde emerentur annue perpetuo Xviii similes *Renenses* computando denario ad Xvi similes de quibus vide latius in libro ac registris de hereditatibus.

**A**nno Lxxv post Pasca preparata fuit intus nova cella et ivit mansum in ea frater *Ioannes de Groote* de *Bruxella* qui adhuc actu manet in ea.

**I**tem feria quarta infra octavas pentecostes sc Xvii *Maii* consensit conventus ut frater *Petrus de Casleto* in *Flandria* reciperetur ad statum monachi qui eodem die puto fuit receptus ad osculum et die commemorationis beati *Pauli* indutus promotus *Lovanii* in artibus qui anno sequenti fecit professionem die predicto et sumpsit ordinem subdiaconatus.

**I**tem hoc anno per Capitulum generale primo Rectori domno *Henrico Loen* propter senium suum et debilitatem et bono

merito quia diu servivit ordini quia convisitor huius Provincie fuit et diversis vicibus ad Capitulum perrexit et prioratum hic fere Xix annis incluso rectoratu suo tenuit et Xij annis in domo Capelle prior fuit et ad magnam suam instantiam misericordia et absolutio concessa et facta est. Unde non modicus dolor omnibus fratribus huius domus fuit. Et quanquam anno precedenti plus timuerant eum misericordiam debuisse obtinuisse eo quod diu tunc fuisset infirmatus etiam acuta infirmitate imo a fine Iunii continue licet quandoque lentius usque ad festum Purificationis et circa illud festum supervenit ei nova febris eo quod timebamus eundem moriturum imo quod quidam dixerunt ne vicarius ab eodem recederet nisi omnia sua sacramentalia sibi donaret, cum quandoque deviaret a ratione. Quod cum perciperet dixit : Ne putetis me modo moriturum spero enim per Dei gratiam quod convalescam et gratiam absolutionis ab officio meo acquiram et ad cellam redibo ut meipsum ante mortem meam colligere valeam et melius ad mortem disponere quod et factum est. Nam anno Lxxiiii immediate sequente sc anno Lxxv post dictum festum Purificationis dimisit eum febris et paulatim cepit meliorari. Et quia illo anno non obtinuit misericordiam a Capitulo nil desuper suspicabamur anno sequenti hoc sc attamen antequam mitteret conversum *Ricardum* domus Capelle ex parte Provincie ad Capitulum magnam habuit spem a priore Capelle sue absolutionis qui fuit principalis visitor provincie quia ad eum tunc ivit. Venit ergo puto Ultima Maii sc in octavis Sacramenti hic in domo charta et litera prioris Capelle de dicti prioris Henrici absolutione. Qua audita nimis dolebamus et instantias multas fecimus ut remaneret, etiam quidam volebant appellare, sed nihil profecimus neque per preces lacrimas, amicos, et instantias huiusmodi. Sicque sabbato sequenti venerunt Priores Capelle Principalis Visitor et cum eodem Prior Silve et facta est electio et electus fuit frater **Marcilius** pro tunc vicarius. Et tunc feria 2<sup>a</sup> sequenti confirmatus et in sede prioris introductus et cum eodem decanus Anderlectensis in refectorium per gratiam impetratam pro ipso Decano a priore Cartusie. Et tunc factus fuit vicarius frater *Joannes Biest* et frater *Ioannes de Colonia* corrector. Altera die perrexerunt dicti priores Antverpam et interim prior *Henricus* fecit compotum et disposuit se perrecturum in reditu dictorum Priorum ad domum professionis sue de Capella. Interim quante instantie facte fuerunt, preces et lacrimae diversorum ut saltim dictus Prior *Henricus* remaneret in hac domo ad instruendum novum Priorem et filios suos quos